



587.

DECAS
QUÆSTIONUM
JURIS CONTRO-
VERSARUM:

1627, 13.

QUAM
D. O. M. A.

PRÆSIDE
Clariss. Excell. atq; Consultiss.

VIRO

DN. GEORGIO-DAVIDE LOCA-
MERO U. J. D. EXIMIO, IN INCLYTA
ARGENTORATIENSIVM ACADE-
mia Professore Ordinario, Præceptore &
fautore suo colendo;

Publici exercitijs causa die 15. Martij.
In auditorio maiori

Proponit

Friedemann Ludwig von Witzleben
Eq. Thur.

¶

ARGENTORATI,

Typis CONRADI SCHER.

ANNO M. DC. XXVII

QUESTIOMNIUM

JURIS CONTRO

VERSARUM

QUAM

D. O. M. A.

DAVIDE I. O. G. A.

IN IURIS

ACADEMIA

ALBERTINA

PROFESSORIS

PROFESSORIS

PROFESSORIS

PROFESSORIS

AR. ENTOR. A. P. J.

PROFESSORIS

PROFESSORIS



Q V A E S T I O I.

AN fideiussor, qui pro reo, cui solvendi terminus quinquennii v. c. erat praefixus, ad finem duntaxat istiusmet quinquennii fideiussit, etiam post prorogationem termini, reo à creditore, non consentiente illo factam teneatur, saltem eo in casu, quo intra quinquennium istud reus facultatibus erat lapsus?

Placet negativa: propterea, quod, licet tempus non sit modus finienda obligationis ipso iure; lex tamen conventionis, qua quis se ad tempus certum obligavit, exceptionem doli vel pacti pariat, qua reus post praefinitum istud tempus conventus defendatur, ne condemnari debeat. l. obligationum. 44. §. 1. vers. placet. ff. de oblig. & Act. l. eum qui ita. 56. §. qui ita. 4. ff. de verb. obl. §. at si ita. 3. Inst. eod. Cum nec conditio post diem existens, obligationem in persona ejus, qui ad diem tantum istum sese obstinxit, efficere queat. l. si fidejussori. 72. ff. de fidejuss. Videri autem potest ac debet, quod fidejussor qui ad certum tempus se obstrinxit, ea mente fuerit; ne pro reo principali ultra illud tempus teneretur: Et creditor qui ejusmodi fidejussorem accepit, tacite sit pactus, ne ultra istum tempo-

A 2 ris

ris articulum res ejus periculo esset. Nec congruit bona fidei, ut creditor terminum solutionis (qui in persona fidejussoris obligationi finienda est adjectus.) debitori ut idoneo proroget, eoque ipso fidejussorem liberet: ac postea demum accuratiore inquisitione factâ, deprehensâque etiam pro anteriori tempore debitoris inopiâ, ad eundem illum fidejussorem revertatur, Omnino enim, qui in termino isto reum principalem pro idoneo agnoscit: ipso facto fatetur, quod nullam actionem ejus debiti nomine contra fidejussorem intendere possit aut velit. arg. Nov. 4. c. 1. Nec aliter obligatio fidejussoris, post prorogationem termini à creditore debitori factam continuabitur, quam si fideiussor isti prorogationi consenserit. Arg. l. item quaeritur, 13. §. qui impleto. 11, ff, locat,

II.

Num is qui scripturâ aut instrumento obligationis confessus est, se accepisse mutuum, quod tamen non accepit, etiam post biennium de non numerata pecunia excipere possit: an verò omnino solvere cogatur, licet pecuniam sibi non esse numeratam probare valit ac valeat?

Videtur nonnullis, ad pauca respicientibus, injustum,

justum, ut exceptio non numerata pecunia post
 biennium ullo modo admittatur: precipue pro-
 pter l. si intra. 8. l. contra actibus. 14. princ. C. de non num
 pec. & §. in fin. Inst. de lit. oblig. Sed contraria senten-
 tia, quod exceptio ista per se sit perpetua, ac
 ratione tantum privilegii sui (quo excipiens
 onus probandi in adversarium transfert.) an-
 gustioribus istis temporibus includatur, equior
 melior apparet. Idque primum ex eo, quod cum
 aliis remediis, indubitato perpetuis, concurrat:
 cum exceptione inquam doli & in factum l. apud
 Celsum. 4. §. adversus. 16. ff. de dol. except. l. si ex cautione.
 3. C. de non num. pec. & conditione in debiti. l. qui sine
 causa. 3. ff. de cond. sine cau. l. si quasi. 7. C. de non num. pec.
 Ubi autem exceptio doli datur, tanquam gra-
 vior, ibi & exceptio non numerata pecunia da-
 ri potest, tanquam levior. arg. l. non debet. 21. ff. de
 R. I. & cui datur actio perpetua, ei multo magis
 perpetua exceptio dari debet. l. invitus. 156. §. 1. ff.
 d. t. Deinde ex eo, quod defectus non numerata
 pecunia, ita obligationem afficiat, ne unquam ex
 ea efficax obligatio nasci possit: cum numeratio
 seu acceptio pecunia, ipsa sit causa, ex qua, nec
 aliunde, actio vires suas habet. l. 2. §. circa primam.
 3. ff. de dol. mal. ff. de dol. mal. except. l. ult. princ. ff. de obl.
 & Act. l. qui pecuniam. 30. ff. de reb. cred. l. cum enim pe-
 cunia

cunia. 7. ff. de novat. Denique ex l. afferatio. 10. C. de non num. pec. ubi ratio differentia, cur exceptio solutionis detur perpetuo; non-numerata vero pecunia certa die evanescat, hac assignatur, quod excipiens in illa probationis onus subeat; in hac vero necessitatem istam ad petitorum transferat. Coniectura non dubia, quin § de non numerata pecunia excipienti, onusque probandi subeunti, facultas ista certa die non sit precludenda. Et aliud qui dicunt, re ipsa hoc agunt, ut § scienti se nihil dedisse, alicuius a se dati repetitionem concedant. Quod tamen cum veritati, cum ipsi naturali equitati est contrarium: nec occasione juris civilis fieri debet. l. 1. §. ideo autem. 1. ff. de doct. mal. except.

III.

An usufructuarius aliquis, eo ipso jus utendi fruendi amisisse videri debeat, quod re male, nec ut bonus paterfam. sit usus?

Negativa est verior: § aperte probatur, in l. 1. §. utilius. 5. ff. usutr. quem. cav. ubi, si ipso male utendo ususfructus finiretur, stipulatio, si male (seu non arbitrato boni viri) usufructuarius usus fuerit, ante finitum ususfructum committi non posset. Quae tamen indubitatio ante finitum

tum

tum eum committitur : ut in d. l. 1. §. 5. indicant
 verba statim, item, nec expectabimus. Juris autem
 erit, ut si adium v.c. ususfructus alicui sit conces-
 sus, nec is eas sartas tectas conservet, ut debet,
 l. usufructu. 7. §. quoniam. 2. ff. de usufr. tunc admo-
 neatur, & intra prefixum terminum neces-
 saria reficere jubeatur: Indeq; is vel usum fru-
 ctum derelinquat (id enim potest, etiam absque
 refectione: dummodo id quod suo suorumve fa-
 cto deterius factum est, reparat. l. cum fructuarius.
 64. & seq. ff. de usufr.) eaque ratione ius suum amit-
 tat. arg. §. qua ratione. 4. 7. Inst. de rer. div. l. 1. §. 1. ff. de
 usufr. accresc. vel si usumfructum derelinquere
 nolit, nec tamen refectionem suscipiat, uti frui
 prohibeatur: l. hoc amplius. 9. §. ult. ff. de dam. inf. &
 si diu cesset, diu etiam prohibeatur: eademq; ra-
 tione & diu non utendo jus suum (interim, &
 donec legitimum tempus praterierit, ipso jure du-
 rans. l. si noxale. 27. in fin. princ. ff. de nox. act.) perdat.
 §. finitur. 3. Inst. de usufr. l. placet. 25. ff. quib. mod. usufr.
 amit.

IV.

Num acquisitio fructuum, bonæ fidei posses-
 fori à legibus concessa, intelligenda sit tantum de
 industrialibus : an verò & de naturalibus?

Posterius



Posterius affirmo: Et ex l. in pecudum. 28. ff. de
usur. hoc modo confirmo. Quicquid est in fructu,
id (ceteris parib.) statim fit bona fidei possessoris. Id
enim est argumentum d. l. 28. Atqui fructus na-
turales sunt in fructu. Id enim nemo sana men-
tis negaverit. Ergo Et c. Præterea Et evidentiùs
id ostendo in hac specie. Fœtus pecudum, Et la-
na, sunt bona fidei possessoris. d. l. 28. princ. Atqui
fœtus pecudum Et lana sunt fructus naturales.
Id enim, quoad fœtus pecudum, manifestò probat
oppositio in l. si filius. 57. §. ult. ff. de pecul. junct. arg. l.
fructus, 45. ff. de usur. quoad lanam verò l. si cui lana,
70 in princ. ff. de legat. 3. repetito arg. d. l. 45. & l. bonæ fidei.
48. ff. de acquir. rer. dom.

V.

An Lutheranus aliquis Pontificium, vel contrà,
heredem rectè instituat sub ista conditione, si ad
testatoris religionem trãnsierit, in eaque constans
permanerit?

Distinguendum videtur inter casum, quo de
heredis institutione agitur eius, qui præteritus
aut exheredatus inofficiosi querelam movere
posset: Et casus alios. Illic enim vix erit, ut eius-
modi appositio effectum suum consequatur: eò
quòd heres ita institutus, conditioni non parens,
vigore

vigore eius exheredatus deprehenderetur: arg. l. si quis ita. 13. §. ult. ff. de statulib. l. quidam. 27. §. ult. de cond. instit. Exheredationis autem causam justam, ex religionis diversitate desumere, fuerit difficile: nisi religio ista ostendatur heretica. arg. Nov. 115. cap. 3. in fin. pr. & §. si quis de prædictis. 8. Hereticam autem esse religionem eam, qua publicè, & Imperii decreto est approbata, si non absurdum, saltem durum est dicere. In aliis verò casibus, nihil cause apparet, cur non observari debeat testatoris voluntas: nec obtrudi ei heres quem non nisi sub certâ conditione, is sibi heredem esse voluit. arg. l. quæ sub conditione. 8. §. mortuo. 7. ff. de cond. instit. non quidem, ut heres scriptus, invitatus ad religionem diversam adigatur: sed ut libero suo arbitrio permittatur: Veruntamen moneatur: quòd, nisi voluntati testatoris satisfecerit, nec successionem ex eiusdem voluntate sperare debeat. arg. l. cum ita. 63. §. 1. ff. de cond. & dom. Planè autem hîc referre videtur, in qua Rep. & coram utri religioni addito Iudice lis ista agitetur. Prout enim resp. constituta, vel iudex affectus fuerit, pro eo etiam haud dubiè is arbitrabitur, quod conditionis istiusmodi impletio pietatem, conscientiam, honestatemque

B

témque

témq₃ l&fura, adeoq₃ pro impossibili, nec adiectâ,
habenda sit, vel minus. add. l. filius. 15. cum l. cum
mulier. 20. in fin. pr. ff. de cond. inst.

VI.

An filius à patre ad Academiam missus,
sumptus, in se factos, fratribus, in divi-
sione hereditatis paternæ,
conferre teneatur?

*Decisio desumenda videtur ex l. quæ pater. 50.
ff. fam. ercisc. quæ ita loquitur, quod si pater non
credendi animo sumptus subministrasse fuerit
comprobatus, sed pietate debitâ ductus; filius eos
in portionem ex defuncti bonis ad se pertinentem
computare non teneatur. Certâ sententiâ, quod
Jus in causâ sit positum: exem. l. si ex plagis. 52. §.
in clivo. 2. ff. ad leg. Aquil. Et referat, num pater
credendi, an (quod pietas debita innuit) donan-
di animo, sumptus subministrârit: quodq₃ priori
casu filius ad collationem cogi possit: posteriori
non item. arg. l. pen. C. de collat. Utrûm verò in
dubio, credendi, an donandi animus præsumi:
sive, (quod eodem redit) utrûm animus donan-
di, à filio; an verò credendi, à fratribus, probari
debeat, ex d. l. 50. decidi non potest: propterea
quòd nullum ambiguum ad decisionem sit aptum*

l. ex

l. ex quo pace. 12. §. sed cum nostra. 2. C. de ædif. priv. l. un. C. de oper. nov. nunt. *Ambiguum autem est, utrum in d. l. 50. particula non cum verbo credendis; an cum verbo comprobatus sit construenda. Nam prior constructio, si pater comprobatus fuerit non-credendi animo misisse, onus probandi ad filium; posterior autem, si pater non comprobatus fuerit credendi animo misisse, ad fratres id transfert. Sed tolli potest hoc ambiguitatis impedimentum ex l. Nefennius. 34. ff. de negot. gest. cujus auctoritate & ego putabo facilius, in re facti ac dubiâ, audiendos esse fratres si reputare velint sumptus studiorum, nisi filius patrem non-credendi animo, sed debitâ pietate, eos supeditasse comprobaverit.*

VII.

An concessione feudi, cum omni seu omnimoda jurisdictione, concessum videri debeat etiam merum imperium?

Certum esse debet, quod jure civili Justiniano, nullum imperiû sub Jurisdictione, ut species sub genere; nec imperiû & jurisdictio, ut species contradistincta sub eodẽ genere proximo contineantur: sed imperium quidem & notio sint species potestatis publicæ l. potestatis. 215. ff. de V. S. impe-

B 2 - rium

rium verò sub se merum & mixtum; l. imperiū.
3. ff. de iurisd. notio autem cum iurisdictione, tum
notionem in specie sic dictam l. ait prætor. 5. princ.
ff. de re jud. l. notionem. 99. ff. de V. S. contineat.
Indeque nec dubitari, quin concessa iurisdictione,
veluti specie sub separato genere posita, non liceat
meri imperii, veluti speciei sub alio genere com-
prehensa concessionem colligere aut concludere.
Firma ratione, quod ab uno separatorum ad aliud
non bene inferatur. Everh. in Top. loc. à separatis
18. n. 1. arg. l. ult. ff. de calum. l. neque natales. 10.
C. de probat. Nec moveat, quod concessa iuris-
dictione, concessum etiam videri debeat mixtum
imperium. l. 1. in fin. l. ult. ff. de offic. eius cui mand.
Id enim non ex potestate verbi iurisdictionis, sed
ex singulari hac ratione fieri, quod alias iurisdic-
tio, veluti elusoria, expediri non posset, manifestum
est ex l. si prætor. 75. ff. de iudic. & l. 2. ff. de iurisd.
Et aliam esse rationem meri quam mixti imperii,
ex ipsa meri adiectione intelligi potest. Merum
enim dici in oppositione mixti, res ipsa loquitur:
& fac. l. bona fides. 31. princ. ff. de pos. nec merum
dici imperium posset, si eodem, quo mixtum, mo-
do, cum iurisdictione coniunctum, vel iurisdic-
tioni (ut species generi) inclusum esset. Verum
enim-

enimverò, quia procul dubio variores sunt, qui ad istam Juris civilis loquendi rationem attendunt: communiori verò Dd. usu iurisdictionis, ut genus, quod sub se imperium merum, & mixtum, & iurisdictionem in specie dictam comprehendit, accipitur: ideo nec improbabile fuerit, & merum imperium asserere ei cui omnimoda seu omnis iurisdictionis concessa ostenditur. arg. l. Labeo. 7. §. Servius. 2. ibi, ex communi usu nomina exaudiri debere. ff. de supell. leg. maximè cum & ei qui dedit, non qui accepit feudum, incubuerit loqui apertius. fac. l. quod autem. 7. §. uxori. 8. ff. de don. int. vi. & arg. l. veteribus. 39. ff. de pact.

VIII.

An & quatenus feudum, ob feloniam Vasalli contra dominum commissam, ad ipsum dominum revertatur, vel ad agnatos pertineat?

Feudum isto casu amitti, ut neq; ab ipso Vasallo obtineri amplius possit, nec ad filios eius pervenire debeat, ostendunt manifesti textus in lib. 2. F. tit. 24. quæ fuit prim. cau. ben. am. §. Est & alia. 1. & seqq. & tit. 26. si de feud. def. cont. §. si Vasallus culpam. & tit. 31. si vasal. feud. priv. Cui autem porrò aperiatur, justam habet dubitationem.

nem. Pro domino enim facit textus in d. lib. 2. F. tit. 24. §. ult. clarâ dispositione, quod si vasallus in dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, tunc non ad proximos, sed ad dominum beneficium revertatur: ut hanc saltem habeat suæ iniuriæ ultionem. Cui congruit quod tit. 57. an ille qui interf. frat. dom. in fin. pr. habetur: cum ad dominum respicit feloniam, tunc feudum domino aperitur: Contrâ verò, pro agnatis facit textus generalis, in d. lib. 2. tit. 26. §. si vasallus culpam. quod scil. ad feudum culpâ vasalli amissum agnati revocentur: Et ratio duplex: 1. quod culpa & pœna suos debeat tenere autores: l. sancimus. 22. C. de pœn. l. non debet. 74. ff. de R. I. ideòq; propter delictum vasalli, agnatis jus feudi à primo acquirente questum lib. 1. F. tit. 1. §. Cum verò Conradus. & tit. 14. de feud. March. §. si Capitanei, non debeat auferri. 2. quod secus si statuatur, ansa quodammodo præbeatur, vel saltem non satis occurratur, collusioni, qua dominus fortè & vasallus ex composito agerent, & delicto aliquo affectato, agnatos sine suâ culpâ feudo privarent: quod tamen fieri non debet: propterea quod, ut dominus proprietate, ita Vasallus possessione feudi, sine dolo culpâve sua privari non debeat. lib. 1. F. tit. 7. de nat.

nat. feud. & tit. 22. quo temp. mil. §. ult. *Quid igitur?* Desumendum hic aliquid videtur ex Jure Justiniano, quo expresse dispositum est, quod res restitutioni subiecta, in casu quo ex culpa possessoris ad fiscum defertur, tandiu solummodo apud eum manere debeat, quandiu is qui deliquit in vivis manet. l. cum pater. 77. §. hereditatem. 4. ff. de leg. 2. l. Staius Florus. 48. §. ult. ff. de jur. fisc. indeq; sic plenius definiendum, quod feudum revertatur protinus ad dominum, & penes eum maneat, quoad vasallus qui deliquit ejusve liberi masculi vixerint: post mortem autem istorum ad agnatos pertineat. *Qua sententia* & in ca. extraordin. lib. 2. F. tit. 78. culp. nu. ex coh. cat. non praed. & tit. 98. ex delict. vas. feud. ad dom. aperte proponitur.

IX.

An filius Vasalli, hereditatem paternam repudiare, ac feudum nihilominus retinere possit?

Respondet text. in lib. 2. Feud. tit. 45. an agnat. vel fil. pos. ret. quod agnatus quidem ad quem universa hereditas pertinet, repudiatam hereditate feudum retinere possit: filius autem non possit hereditatem sine beneficio repudiare. cui concord. text. in tit. si. de capit. qui cur. vend. §. Filius. *Sed rationis*

rationis esse videtur, ut textus ille accipiatur in terminis habilibus: si scilicet feudum acceptum sit pro se & heredibus: non etiam si acceptum sit pro se & liberis. Hoc enim casu filium, etiam repudiatam hereditate paternam, ad feudum admittendum esse, suadet l. si operarum. 29. ff. de oper. lib. & l. quodcunque. 45. §. si quis. 2. ff. de verb. obl.

X.

An Doctores bullati, ut vocantur, iisdem quibus alii in Academiis promoti, privilegiis gaudere debeant.

Si quidem de certo Imperatoris Iudicio hic planè constaret quod paria utrobique esse privilegia velit: nil causæ esset, cur quisquam de isto quaesito dubitaret. Verum, cum res non omni careret exemplo, si in verecunda petentium inhibitione, etiam non concedenda nonnullis tribueretur: l. 1. vers. sed quoniam. C. de pet. bon. subl. 10. 12. & honorariis decorarentur codicillis, qui quod egisse videntur, tamen non egerunt l. 3. §. viros autem. 2. C. ubi Senat. vel clarif. adeoque codicillos tantum honoraria dignitatis adipiscerentur: l. 2. vers. quartum. C. ut dign. ord. serv. 12. 8. ideo nec de privilegiis istorum Doctorum dubitandi causa nulla apparet.

F I N I S.

TRASSBURG, Diss., 1627-29

ULB Halle 3
004 527 275



56

1077







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

587.

ONNUM
NTRO-

UM:

1627. 13.

A.

Consultis.

IDE LOCA-
N INCLYTA
M ACADE-
receptore &
o:

15. Martij.
riori

n Witzleben

RATI,
SCHER.
XXVII

8

3.

29

